



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

VII. Promotos in curia Romana ad sacros ordines non esse admittendos ad illorum executionem, nisi prius a dioecesanis fuerint examinati.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

ANNO  
CHRISTI  
1547.

examinandus ad episcopum, cui literæ dimissoriæ præsentabuntur: inferaturque in illis literis dimissoriis clausula, Super quo conscientiam tuam oneramus. Prouiso tamen, quod nunquam concedantur literæ dimissoriæ, nisi illi qui habuerit beneficium aut patrimonium prætaxati valoris.

## VI.

Sed quantum attinet ad iam promotos ad sacerdotium, iniungimus suffraganeis nostris, vt super illis diligentem & accuratam faciant inquisitionem. Et quos inuenerint promotos ante ætatem legitimam, iuxta iuris dispositionem ab executione ordinum suspendant, donec ad ætatem legitimam peruenerint. Et quos vita reprehensibiles cognouerint, debite coerceant. Quos insuper non esse literaturæ sufficientis deprehenderit, ab executione ordinum suspendant, donec in scientia, quæ ordini est requisita, ad plenum fuerint instructi.

## VII.

Rursus quia nonnulli, suæ ignorantia & incapacitatis & delictorum conscii, fugientes examen suorum episcoporum, scientes se non esse ab illis promouendos, ad curiam Romanam confugiunt, etiam absque literis dimissoriis eorundem episcoporum, & in eadem curia se faciunt promoueri ad omnes sacros ordines, per quosdam asserentes se esse episcopos, & habere a Romano pontifice auctoritatem ordinandi, de quorum potestate ac commissione non apparet: sintque ordinati huiusmodi promoti extra tempora, ac interdum tribus successiuis diebus: talibus diœcesani non permittant executionem suorum ordinum, nisi visis diligenter eorundem literis: constituto etiam sufficienter de potestate ordinantium, & eorum commissione eis a Romano pontifice concessa. Ad hæc etiam, quod rursus examinentur de vita, scientia, ætate, ac inquiretur de beneficio seu patrimonio. Qui si in prædictis aut aliquo præmissorum inuenti fuerint minus sufficientes, declarentur suspensi ab executione ordinum, modo & forma supra declaratis.

## VIII.

Ceterum, quia ecclesiæ Dei nihil magis officit, quam quod indigni præficiantur curæ animarum, & ad aliorum

*Concil. Tom. 34.*

O o o o ij